



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus III. vtrum persona diuina assumpserit hominem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Dist 6 pa-
ragrap 1 q.
2 art. 6.

lib. * Sentent. concedit hominem esse assumptum: sed illa opi-
nio erronea est. & supra dictum est *

c AD primum ergo dicendum, quod huiusmodi locutio-
nes non sunt extendenda tanquam proprie: sed pie sunt expo-
nenda ubique à sacris Doctoribus ponuntur: ut dicamus
hominem assumptum, quia eius natura est assumpta, & quia
assumptio terminata est ad hoc, ut Filius Dei sit homo.

d AD secundum dicendum, quod hoc nomen, homo, signi-
ficat naturam humanam in concreto, prout scilicet est in ali-
quo supposito: & ideo sicut non possumus dicere, quod suppositum
sit assumptum: ita non possumus dicere, quod homo sit as-
sumptus.

AD tertium dicendum, quod Filius Dei non est homo, quem
assumpsit, sed cuius naturam assumpsit.

COMMENTARIUS.

In hoc articulo non tractat D. Thomas rem no-
uam, sed illum proposuit ad explicandas nonnul-
las Sanctorum locutiones, quae interdum non adeo
proprie & rigorose inueniuntur.

Respon. b Responder igitur, non proprie dici Deum as-
sumpsisse hominem, quam assertionem in argumē-
to, sed contra, probat testimonio Felicis Papae,

Felix. Papa quod habetur, inquit, in Concilio Ephesino: ubi
notandum est, neque in Concilio Ephesino, quod
habetur i. tom. Conciliorum, neque in alio Concilio
Ephesino nuper edito reperiri hoc testimonium
Felicis, tamen in Concilio Chalcedonensi Actor. i.

Concilium Chalcedo. pag. 81. post fidem Synodi Nicenae, referri varia Pa-
trum testimonia, quae recitata fuisse dicuntur in
Concilio Ephesino, & octavo loco ponitur hoc tes-
timonium. In quo tamen est ulterius obseruandum,
illum non simpliciter negare Verbum assumpsisse
hominem, sed verba eius sunt, *Credimus in Dominum*

nostrum Iesum Christum ex Maria Virgine natum, qua-
niam ipse est eternus Dei Filius & Verbum, & non homo
à Deo susceptus, ut alter esset praeter ipsum: neque enim homi-
nem assumpsit Dei Filius, ut esset alter praeter ipsum. Quibus
verbis non videtur simpliciter negare illam propo-
sitionem, sed cum illo addito, ut esset alter praeter
ipsum, quamquam dici possit, hoc verbum non esse
additum ad limitandam illam locutionem, sed po-
tius ad indicandam rationem, quare Christus non
possit dici homo assumptus, quia in hac locutione
significatur, Christum esse alterum ab assumente,
quia assumptus est alter ab assumente.

Quam rationem indicauit Cyrillus anathema-
tismo. 8. recepto in Concilio Ephesi. can. 8. ubi da-
mnantur, qui hominem assumptum, vni cum Dei
Verbo adorandum dicunt, tanquam alterum in al-
tero existentem. Et defendendo illum anathema-
tismum ab obiectione Orientalium, dicit idem Cy-
rillus non esse factam connexionem hominis cum
Deo: & in defensione eiusdem contra Theodoret.
dicit: Non hominem assumptum dicimus à Deo Verbo,
& copulatum illi secundum habitudinem quandam, quae
extrinsecus intelligatur, sed hominem factum esse dicimus.
Eteandem rationem indicat B. Ioannes Maxentius
dialog. 1. contra Nestorium tom. 5. Bibliot. circa fi-
nem dicens, Ego à Deo susceptum hominem nullatenus
dicere audeo, sed Deum factum hominem fateor, ne si su-
susceptum à Deo hominem dixerem, duas videar predicare per-
sonas. Et ad hanc tendit etiam ratio D. Thomae in
articulo, quia homo significat humanitatem, ut sub-
sistentem, sed Christus non assumpsit humanitatem
ut subsistentem, ergo neque hominem. minorem
probat, quia quod assumitur, supponitur assumpti-
oni, sed humanitas ut subsistens non supponitur as-
sumptioni, sed potius per assumptionem trahitur
ad subsistendum, ergo. Quae ratio ita etiam expli-
catur, quia quod assumitur, terminatur subsisten-
tia Verbi, non terminatur autem homo, sed huma-

Concilium Ephesin.

Cyrl.

Ioan. Ma-
xentius.

Artic. IV. nitas, quia homo significat ut subsistens, & ut per-
sona:

c In primo argumento obijcit D. Thomas testi-
monium Augusti, ex lib. de Agone Christiano c. 11.
ubi ita loquitur, Filius Dei hominem assumpsit, quae lo-
cutio frequens est apud illum, ut videre est lib. 9. de
ciuit. c. 17 & 21. lib. 10. c. 22. & 19 & epist. 66. & enar-
ratione Psalmi. 4. & 29. & saepe alias, quem imitatus
sunt Concil. Tolet. VI. & XI. in confessionibus fidei, tanquam
& Anselm. lib. de Incarnat. c. 5. citari etiam solet hae
locutio ex Concilio Ephesi. & ex V. I. Synod. Act. 11.
sed male, in illis enim locis non reperitur. Indicat Irenaeus,
autem eam locutionem Irenaei lib. 5. contra haereses, Damasci
i. & Damasc. lib. 3. c. 6. Ac denique in Cantico, Te Deum
laudamus, quod ab vniuersa Ecclesia receptum est,
dicitur, Tu ad liberandum suscepturus hominem, non hor-
ruisti Virginis uterum.

B Propter quae nonnulli, & inter eos Ludouicus
Vines 9. de ciuit. c. 17. reprehendunt D. Thom. qui Vines Val
negat eam locutionem in rigore, & proprietate ser-
monis esse veram. Sed D. Thomae sententia com-
munis est Theologorum in 3. d. 6. & eandem sequi-
tur Alensis. 3. p. q. 4. mem. 7. ad finem, & sufficien-
tissime probata est, & ideo ad Augusti. (& idem est
de alijs Patribus) responder D. Thomas in hac solu-
tione, eam locutionem, ubi inuenta fuerit, non esse
extendendam, sed pie explicandam. Adhibet
vero duas explanationes: primo est ut homo dicatur
assumptus, quia eius natura assumpta est, & hanc in-
dicaui supra Anselmus, qui tamen addit hanc esse
veram, Deus assumpsit hominem, quia terminus
communis solam naturam significat: hanc vero
falsam, Deus assumpsit hunc hominem, quia iam
designatur persona, quae tamen differentia non vi-
detur admodum necessaria, quia in proprietate ser-
monis etiam homo significat naturam, vel subsi-
stentiam, si autem improprie loquamur, etiam hic
homo potest significare hanc humanitatem. Secun-
da explicatio D. Thomae est, ut Deus dicatur assump-
psisse hominem quia assumptio terminata est, ut
Deus sit homo: in qua significatione Verbum assu-
mendi non significat actionem, ut est mutatio rei
assumptae, sed ut est veluti productio termini resus-
tantis ex vnione. Aliae expositiones adhiberi solent,
sed illas omitto, utpote non ita proprias.

d Alia argumenta, & solutiones eorum clarae sunt,
& à Caietano sufficienter explicantur. Collige ta-
men obiter ex solutione ad secundum, cum expo-
sitione Caietani magis impropria esse hanc locu-
tionem, homo assumptus est à Verbo, quam hanc,
Verbum assumpsit hominem, quia subiecta magis
stant materialiter quam predicata, & ideo magis in
priori locutione significatur suppositum, vel perso-
nam hominis esse assumptam, quam in posteriori:
quamquam etiam in posteriori hoc indicetur, si pro-
prie Verbo assumptionis utamur, quod in rigore
supponit, ut subiectum, totum id quod assumi dici-
tur.

ARTICVLVS IIII.
Vtrum Filius Dei debuerit assumere humanam na-
turam abstractam ab omnibus indiuiduis.

E D quartum sic proceditur. Videtur, quod
filius Dei debuerit assumere humanam na-
turam abstractam ab omnibus indiuiduis.

Assumptio enim humana natura facta est
ad communem omnium hominum salu-
tem: vnde dicitur primo ad Timot. 4. de Christo, quod est
Saluator omnium hominum, maxime fidelium. Sed natura
prout est in indiuiduo, recedit à sua communitate. Ergo filius
Dei debuit humanam naturam assumere, prout est ab om-
nibus indiuiduis abstracta.

2. Præterea, in omnibus, id quod est nobilissimum, est
Deo